

MODVM  
ENTHYMEMATA  
IN ORATIONIBVS  
ADHIBENDI

*D. O. M. A.*

AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHICO  
IN ACADEMIA IVLIA CONSENTIENTE  
*ERVDITORVM SVBIICIET IVDICIIIS*

PRÆSES

M. IO. FRIDER. HEINE

HANNOVERANVS

RESPONDENTE

HENR. BERNH. BURMESTER  
HILDESIENSI

*IN AUDITORIO PHILOSOPHORVM,*  
D. IV. MARTII MDCCXI.



HELMSTADII,

TYPIS HAMMIANIS.

*J. M. 26.*

*a. XLIX, 33.*

ll. coll. diss. A  
69, 33

22

M. D. V. M.

EN THY M E M M A

IN ORATIONIBVS

ADHIBENDI

D. O. M. N.

AMPLISSIMO QVADRIPLICI QVADRIFIDO

IN HONOREM S. M. A. C. O. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

ET S. M. A. C. O. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

T. R. E. S. S. E. N. S. I. S.

M. I. O. F. R. I. D. E. R. H. E. I. N. E.

H. A. N. N. O. V. E. R. A. N. S.




H. E. N. R. B. E. R. N. A. R. D. I. N. E. S. T. E. R.

H. I. S. T. O. R. I. A.

IM P. R. O. T. O. T. I. O. N. E. T. H. R. O. G. O. F. O. R. M. A.

H. A. N. N. O. V. E. R. A. N. S.



H. A. N. N. O. V. E. R. A. N. S.

T. H. E. P. R. I. N. C. I. P. A. L. I. S.

2013



§. I.

**C**VM oratori difficillimum sit, ut auditores, ad quos orationem habet, ad assensum pertrahat, ante omnia in id intendere debet, ut orationem firmis rationibus atque argumentis confirmet, quo finem, hoc est, persuasionem feliciter consequi possit. Inter illa argumenta & rationes in oratoria non infimum obtinent locum enthymemata & exempla, quorum illa auditores ad persuadendum quasi ducunt. Cum autem ARISTOTELES non in logicis solum, verum etiam in rhetoricis de enthymematibus agat, operæ pretium erit, prius hac in dissertatione de enthymematibus in genere, deinde usu enthymematum in orationibus differere.

§. II.

Enthymema derivatur a voce *ενθυμησμαι* cogito, animadverto, in animo verso, considero, expendo, reputo, quasi in animo habeo, ab *εν* in & *θυμος* animus, quia enthymema est syllogismus, cuius una præmissarum subintelligitur & in mente reservatur (a). Licet autem vox *θυμος* proprie iram & impetum animi

(a) Vid. EDVARDI LEICHS Critica sacra in voces Græcæ Novi Testamenti p. m. 237.

animi effervescentis & concitati secundum ERASMV M & secundum BEZAM excandescenciam significet; unde EVSTHATHIVS derivat a θυμ cum impetu ferri, & αιμα sanguis, ut sit quasi θυαιμος, ira, motus quidam sanguinis in corde, vel levior quaedam perturbatio & excitatio animi, quæ momentaneum quid & nullius durationis est; uti tamen apud Latinos animus iram notare videtur, sic quoque θυμος & iram & animum significare potest. θυμος enim est illa animæ pars, quæ impetus habet & motus, itaque opus habet, ut regatur a ratione, in quo significato usus το animus latissimus & vulgatissimus est. Hinc HORATIVS (a):

*Ira furor brevis est, animum rege: qui nisi paret,  
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena.*

Et PLAVTVS (b)

*Qui homo inde cum animo ab ineunte atate depugnat suo,  
Utrum id ita ne esse mavelit, ut eum animus equum censeat:  
An ita potius, ut parentes eum esse & cognati velint:  
Si animus hominem perpulit, actum est: animo servivit, non sibi.  
Si ipse animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet.*

TERENTIVS (c) *Quam ego animo egregie charam pro uxore habuerim.* Notum quoque est hoc HOMERI εμω πολυφιλατε θυμω.

### §. III.

Est autem enthymema secundum ARISTOTELEM (d) syllogismus oratorius vel (e) syllogismus ex verisimilibus aut signis constans. In priori loco hæc sunt ARISTOTELIS verba; *Voco enthyme-*

(a) lib. I. Ep. 2. (b) Trinum. a. 2. scen. 2. (c) Andria a. I. sc. 5.

(d) lib. I. Rhetor. Cap. II. §. 20., editionis ISAACI CASANOVII

Tom. II. p. 400, A. (e) Analyt. prior lib. II, cap. 27. §. 3.

enthymema syllogismum oratorium, exemplum autem inductionem oratoriam. Omnes autem demonstrando fidem faciunt, aut exempla proferentes aut enthymemata, neque quidquam fere aliud. Quo circa, si omnino necesse est, eum qui quid demonstrat, aut syllogismo aut inductione id facere. Constat autem ita esse ex analyticis, necesse est utrumque horum cum utroque illorum idem esse. Porro (a) Quare necesse est & enthymema & exemplum esse de iis, quæ etiam aliter se habere possunt, exemplum quidem inductionem; enthymema vero syllogismum eumque ex paucis ac sæpe ex paucioribus, quam eum, qui primo & proprie syllogismus dicitur. In eandem sententiam quoque incidit CICERO dicens (b): "Omnis argumentatio aut per inductionem tractanda est aut per ratiocinationem. Inductio est oratio, quæ rebus non dubiis captat assensionem eius, qui cum instituta est: quibus assensionibus facit, ut illi dubia quædam res propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur. --- Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquod eliciens, quod expositum & per se cognitum sua se vi & ratione confirmet. — Quemadmodum illud superius genus argumentandi, quod per inductionem sumitur, maxime Socrates & Socratici tractaverunt: sic hoc, quod per ratiocinationem expolitur, summe est ab Aristotele & Peripateticis & Theophrasto frequentatum: deinde a rhetoribus iis, qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt. Apud hunc enthymema dicitur, quod ex contrariis conclusum. Hæc sunt illius verba (c): Ex hoc illa rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi enthymemata appellant: non quod non omnis sententia proprio nomine enthymema dicatur, sed, ut Homerus propter excellentiam,

A 2

com-

(a) §. 34.

(b) lib. 1. de invent. Rhetor.

(c) in Topica ad C. Trebatium.

„ commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum: sic,  
 „ cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea,  
 „ quæ ex contrariis conficiatur, acutissima, sola proprie nomen  
 „ commune possidet. Eius generis hæc sunt: Hunc metuere,  
 „ alterum in metu non ponere: Eam, quam nihil accusas, damnas:  
 „ Bene quam meritam esse autumas, dicis male mereri: Id, quod  
 „ scis, prodest nihil: id, quod nescis, obest. Hoc differendi genus  
 „ attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes  
 „ sed philosophorum magis: quibus est cum oratoribus illa ex  
 „ repugnantibus sententiis communis conclusio, quæ a dialecti-  
 „ cis tertius modus, a rhetoribus enthymema nuncupatur.  
 Secundum venerabilem nostrum Abbatem SCHMIDIVM (a)  
 enthymema est, cum in perfecto syllogismo alterutra maior vel  
 minor propositio deest. Non solum enthymematibus sed & exem-  
 plis gaudent oratores. Exemplis homines quidem potius gau-  
 dent, quam enthymematibus, scribit ARISTOTELES (b) & MA-  
 CROBIVS (c), oratoriæ quidem dictiones, quæ exemplis abundant  
 non minus ad persuadendum valent, quam quæ abundant enthy-  
 mematibus; orationes tamen enthymematicæ maiorem vim  
 animo afferunt, hoc est, adversarium validius urgent & ad fidem  
 habendam vel invitum impellunt. Audiamus hac de re ipsum  
 ARISTOTELEM (d): *Quemadmodum enim in methodicis, ita hic  
 quoque seres habet. Nam cum multa ac similia protuleris, ostendere id  
 quoque, de quo agitur, ita se habere, illic quidem inductio est, hic autem  
 exemplum. At vero quibusdam positis, evenire præterea aliud quid-  
 piam eo, quod illa sint, illic quidem syllogismus vocatur, hic autem enthy-  
 mema.*

(a) Analyt. §. 9. not. b. p. 93.

(b) problem. Sect. XIIX. 3.

(c) Saturn. libr. VII. Cap. IV.

(d) lib. I. Rhetor. Cap. II. §. 24. seq.

*mema. Illud quoque constat in esse utrumque bonum in oratorio dicendi genere. Oratorie enim dictiones alia exemplis alia enthymematibus abundant. Atque ad persuadendum quidem non minus valent, quae exemplis abundant, sed maiorem animorum motum efficiunt enthymematica. Differentiam autem inter enthymema & exemplum ostendit (a): Est autem inductio instrumentum aptius ad persuadendum & apertius, & secundum sensum notius, & multis commune: syllogismus vero instrumentum maiori vi urgens & adversus eos, qui sunt ad contradicendum apti, efficacius.*

## §. IV.

Sed inspiciendæ sunt illæ variæ definitiones enthymematum, quæ traduntur ARISTOTELI (b): Enthymema est syllogismus constans ex verisimilibus & signis. Dicitur autem verisimile, ut B. CONRADVS HORNEIVS (c), vir de hac academia Iulia optime meritis explicuit, propositio probabilis, talis cum primis, quæ videtur aut omnibus aut plerisq; hominibus, ut: qui amant, bene cupiunt illis, quos amant. Uno verbo, verisimilia vocantur *ἔνδοξα*, quæ hominum opinionibus sunt consentanea, aut minimum ab illis non aliena; atque in his dialectica versatur, quæ tota pendet ab opinione & nutu respondentis secundum SCHERBIVM (d); Analytica autem pro principiis habet vera atque necessaria. *ἔνδοξα* vel probabilia vel verisimilia sunt ARISTOTELI (e), quæ videntur omnibus vel plerisque vel sapientioribus atque his vel omnibus, vel plerisque vel

A 3

maxime

(a) lib. 1. Top. Cap. XII. §. 5.

(b) Analyt. prior. lib. II. Cap. XXVII. §. 3.

(c) Compend. dialect. p. 176.

(d) Thess. de differentia analyticae

&amp; dialecticæ.

(e) 1. Topic. 1. §. 7. Item 1. Top. x. §. 2.

maxime notis & claris, seu qui in existimatione versantur & de quibus alii magnam sapientiæ habent opinionem. Verisimilia autem non sunt unius eiusdemque generis. Alia enim *εὐδοξία* vulgo, alia vero sapientibus; quia ARISTOTELES (a) dividit genus hominum in vulgare & sapiens. PLATO (b) verisimilia vocat *τὰ εἰκότα*; *Verisimilia, inquit, nihil sunt aliud, quam illa, quæ videntur multitudini.* Enthymemata secundo loco constant ex signis. Quid signum sit, statim enthymematis definitioni subiungit ARISTOTELES (c). Accipitur autem signum tribus modis, quot & medium in figuris. Velenim ut in prima figura, vel ut in secunda, vel ut in tertia. Utputa probare mulierem uterum ferre, quia lac habet, ex prima figura est; medium enim est, habere lac; at sapientes esse viros probos, quia Pittacus sit probus, per ultimam figuram concluditur; mulierem autem uterum gestare, quia sit pallida, ad mediam figuram referri debet. Si igitur una propositio dicta fuerit, fit tantum signum; quod si & altera sit assumpta, fit syllogismus. Ut puta, Pittacum esse liberalem, quoniam ambitiosi sunt liberales, Pittacus autem est ambitiosus. Rursus sapientes esse viros bonos: quia Pittacus est vir bonus, sed & sapiens. Sic igitur fiunt syllogismi. Verum qui fit in prima figura, est insolubilis, si verus sit: universalis enim est; qui vero fit in postrema, solvi potest, etiamsi conclusio vera sit: quia syllogismus non est universalis, nec ad rem. Non enim, si Pittacus est vir probus, necesse est, propterea etiam alios sapientes esse probos. Qui vero fit in media figura, semper & omnino solvi potest; nunquam enim fit syllogismus, cum termini ita se habent. Non enim, si uterum ferens est pallida,

atque

(a) 1, Top. 1. (b) in Phædro. (c) Analyt. prior, lib. II, Cap. xxvii, §. 4, seq.



atque hæc est pallida, continuo necesse est hanc uterum ferre. Verum igitur in omnibus figuris: sed habent eas differentias, quæ dictæ sunt. Aut igitur sic dividendum est signum, ex his autem tecmerium sive indicium accipi debet, quod est medium; indicium enim aiunt esse, quod scire facit; medium vero maxime tale est, aut quæ ex extremis sumuntur, signa vocari debent; quod vero ex medio signum. Nam maxime probabile & maxime verum est, quod per primam figuram probat. Signum alias dicitur nota rei cadens sub sensum v.g. rubedo in aere tempore vespertino signum est futuræ serenitatis diei, & de hoc signo ex professo agit metaphysicus, qui ita describit, quod potentia cognoscenti aliquid repræsentat. Admittit autem signum varias distinctiones in signum naturale & arbitrarium, speculativum & practicum, notificans, commonefaciens & obsignans, in signum necessarium & contingens &c. ARISTOTELI (a) signum est nihil aliud, quam propositio demonstrativa aut necessaria aut probabilis. Signum, ut iam dixi, aliud est necessarium, aliud non necessarium. Signum necessarium vocatur specialiori nomine τεκμηριον ab antiquo illo vocabulo τεκμαρ, quod notabat extremum & ultimum, quia τεκμηριον idem est, ac quod ad finem ducit, & quod nulla indiget probatione refellique nequit. Signum non necessarium particulari non cognominatur nomine. Distinguitur vero necessarium signum a non necessario, quod unum se habeat ut singulare ad universale. Taceo GALENUM (b) QUINTILIANVM (c) ZBIDLERVM (d) & alios.

§. V.

- (a) II. Analyt. Prior xxvii. §. 2. (b) Comment. tertio in prognostica Hippocratis cap. ix. (c) lib. v. Instit. Orat. cap. vi. (d) Analyt. posterior, sive de variis sciendi gen. & med. eo perveniendi p. 374. seq.

## §. V.

Porro enthymema ARISTOTELI (a) est syllogismus oratorius, quoniam oratores hoc plurimum utuntur, ut infra ostendetur. CICERONI (b) quod ex contrariis conclusum est, unde apud ARISTOTELEM (c) oritur distinctio enthymematis in *δεικτικον* & *ελεγκτικον*, de quo etiam postea. Venerabili Dn. Abbati SCHMIDIO (d) cum in perfecto syllogismo alterutra maior vel minor deest. v.g. Equus est animal, Ergo sentit. Petrus est disciplinarum capax, Ergo est rationalis. Declarat vero hoc ita: Ut vero sciamus, quænam ex præmissis desit, respiciendum est ad prædicatum & subiectum conclusionis. Si prædicatum conclusionis non adest in præmissa, tunc deest maior propositio. Si subiectum conclusionis deest in præmissa, tunc deest minor propositio v. g. Socrates est iustus, Ergo Socrates est vir bonus; in hoc enthymemate prædicatum conclusionis *vir bonus* non adest in præmissa, Ergo deest maior propositio. In hoc exemplo: Qui bene scribit, est doctus, Ergo Plato est doctus, subiectum conclusionis *Plato* non adest in præmissa, Ergo minor propositio deest. Hinc constat enthymemata inter imperfectos syllogismos posse referri. Quod ipsum quoque BOETHIO (e) in mentem venit: *enthymema*, inquit, *est imperfectus syllogismus, id est, oratio, in qua non omnibus antea propositionibus constitutis infertur festinata conclusio: Ut si quis ita dicat: Homo animal est, substantia igitur est. Prætermisit enim alterutram propositionem, qua proponitur, omne animal est substantia. Ergo quoniam enthymema ab*  
*universa-*

(a) lib. 1. Rhetor. cap. 11. §. 20.

(b) in Topica ad C. Trebatium.

(c) 2. Rhetor. 22. §. 30. seq.

(d) Analyt. §. 9. not. b. p. 93.

(e) lib. 11. de differ. Top. Cap. 11.

universalibus ad particularia probanda contendit, quasi simile syllogismo est: quod vero non omnibus, quæ conveniunt syllogismo, utitur propositionibus, a syllogismo ratione discedit, atque ideo imperfectus vocatus est syllogismus. Hinc est IUVENALIS illud (a):

- - - Aut curtum sermone rotato

Torqueat enthymema.

B. IOANNES BARTHOLDVS NIEMEIERVS, primum philosophiæ primæ & logices, dein theologiæ professor, vir, dum viveret, de hac academia præclarissime meritus, peculiarem edidit dissertationem de enthymemate, in qua in genere differit de enthymemate, multosque (b) allegavit, qui enthymema vocarunt vel syllogismum imperfectum, nempe CONIMBRICENSES (c), MONLORIVM (d), ROBERTVM BALFOVREVM (e), PHILIPPVM MELANCHTHONEM (f), PLANERVUM (g), FORTVN. CRELLIVM (h), IACOB. MARTINI (i) aliosque; vel syllogismum mutilum, videlicet SCALIGERVUM (k), GERHARDVM IOANNEM VOSS. (l); vel syllogismum truncatum, nimirum ZARABELLAM (m), FRANC. DE OVIEDO (n), RODER. DE ARRIAGA. (o) Constat igitur enthymema ex duabus tantum enunciationibus, antecedente & consequente,

B illa-

- (a) Sat. vi. (b) §. LIV. (c) in II. Prior. p. 401. 402. (d) in II. Prior. xxvii. (e) in eund. loc. p. 505. 506. (f) Erot. dial. lib. III. p. 181. (g) in cit. Aristot. loc. p. 510, 512. (h) Isagog. log. part. comment. lib. III. cap. xxii. (i) discuss. Ramist. lib. II. cap. XII. Quæst. IV. pag. 978. (k) lib. III. Poet. cap. LXXXI. (l) partit. orat. lib. III. cap. VII. §. 9. (m) in Tab. Log. (n) Summul. controv. II. punct. num. 2. (o) Disput. in summul. Sect. III. num. 16.

illaque imperfectio non de materia, sed de forma enthymematis est intelligenda. Præterea neque ille syllogismus, quicumque etiam sit, cui tantum deest aliqua præmissarum, vocandus enthymema, ut putat ROBERTVS BALFOVREVS (a): *Enthymema imperfecta quidem ratiocinatio dicitur, non quod parum perspicue concludat, quomodo antea cap. 1. lib. 1. & aliis quibusdam deinceps, diximus syllogismos secunda & tertia figura esse imperfectos: sed imperfectam ratiocinationem vocat, quia mutila sit & altera propositione truncata: semper enim aut propositione caret, aut assumptione.* Et deinceps: *Apud dialecticos enthymema late sumtum erit omnis ratiocinatio, quæ altera propositionum truncatur: ita ut nulla ratio sit, quæ enthymema fieri non possit, si propositionem alteram detraxeris.* Porro & hoc notandum est, cum ambæ proferantur propositiones non amplius esse enthymema, sed syllogismum. Hoc enim indicat ARISTOTELES (b): *Si una propositio dicta fuerit, fit tantum signum; quodsi & altera sit assumpta, fit syllogismus.* Utoputa *Pittacum esse liberalem, quoniam ambitiosi sunt liberales. Pittacus autem est ambitiosus. Rursus; sapientes esse viros bonos, quia Pittacus est vir bonus & sapiens. Sic igitur fiunt syllogismi.* Item (c): *Cum enthymemata sint syllogismi de illo rerum genere, fere & conclusiones & principia enthymematum, sententia sunt detracto syllogismo. Quale illud est:*

*Quisquis sapit, gnatos ita instituat suos  
Sapientiores vulgo haberi ni velit.*

*Hæc igitur sententia est, addita autem causa cur ita sit, totum illud est enthymema, ut*

*Nam*

(a) loco citato. (b) II. Prior, XXVII. §. 8. (c) II. Rhetor. XXI. §. 4. & 5.

*Nam præter eam, quam contrahunt ignaviam,*

*Invidiam & odium a civibus ferunt suis.*

*Et illud:*

*Nemo omnium est, quem liberum merito voces;*

*sententia est; addito autem eo, quod sequitur, enthymema:*

*Fortuna enim aut est servus aut pecuniæ.*

Cum autem de imperfectione enthymematum est sermo, sententiæ **RICCOBONI** (a) assensum non præbemus, quod si enthymema sit syllogismus imperfectus, & ex materia imperfectio oriatur, inde aliquid absurdi evenire, quod materia & non forma ipsi rei afferret essentiam, appellationemque. Sed egregie hanc resolvit obiectionem laudatus **B. NIEMEIERVS** (b), meminisse debere, non solam formam tribuere integram essentiam, sed formam una cum materia eandem demum absolvere, si enim res aliquæ similes quidem haberent formas, materia autem esset diversa, tunc ipsæ quoque essentiæ erunt distinctæ, cum ad diversam istiusmodi materiam forma quoque aliam atque aliam nanciscatur habitudinem.

### §. VI.

Est autem enthymema vel *δεικτικον* vel *ελεγτικον*. Enthymema *δεικτικον* vel demonstrativum est, quod ostendit, rem ita esse vel non esse. Elenchticum vero illud est, quod impugnat & redarguit conclusionem enthymematis ab alio allati. Ipsi **ARISTOTELI** (c) hæc placuit distinctio, cum inquit;

B 2

Sunt

(a) paraphras. in 1. Rhetor. 11. p. 59, (b) dissert. de enthymemate §. LXXVI,

(c) 1. Rhetor. XXII. §. 30. seq.

Sunt enthymematum genera duo, quod alia quidem eo adhibentur, ut rem aut esse aut non esse demonstrant, alia autem ad redargnendum. Et differunt in dialecticis elenchus & syllogismus. Est autem demonstrativum enthymema, colligere ac concludere aliquid ex iis, quibus adversarius ipse assentitur. Redarguit autem illud, quo concluditur aliquid eorum, quae adversarius negat. Enthymema scilicet elenchticum magis est penetrans, quam demonstrativum, hoc enim tantum simpliciter demonstrat, cum illud contraria conferendo non solum evadat perspicuum, sed ad adversarios refellendos magis sit accommodum. CICERONI (a) nullum enthymema nomine enthymematis venit, nisi enthymema elenchticum, idque quod ex contrariis conficitur, scilicet enthymema elenchticum acutissimum vocat. In eandem sententiam non solum QUINTILIANVS (b): Ex pugnantis vero, quod etiam solum enthymema vocant, multo fortior est probatio. Tale est Ciceronis pro Milone. Eius ergo mortis esse debetis ultores, cuius vitam, si putetis, per vos restitui posse nolitis, verum etiam RVDOLPHVS AGRICOLA venit (c): Plerique rhetores hoc nomen velut dignatione quadam dederunt ei argumentationis generi, quod ex contrariis conficitur. ANTONIVS RICCOBONVS, nec non IO. FRANCISCVS BYRANA ausi sunt distinctionem instituere inter enthymema & syllogismum enthymematicum, quorum hic (d) dicit: Rationem ita constructam non esse enthymema, sed potius enthymematicum syllogismum, ac ratiocinationem dialecticam a signo, quae tamen facillime enthymema fieri possit; si enim aut maiorem aut minorem

(a) in Topica.

(b) lib. V. institut. orat. cap. XIV.

(c) lib. II. de invent. dial. cap. XIX.

(d) Comment. in I I. Prior. XXVII.

norem abstulerimus, fit ratio ista enthymematica. Sed ARISTOTELES (a) inter exempla descriptioni subiecta unum vocat syllogismum enthymematicum, quod cum enthymemate unum idemque est. Quod enim dialecticis syllogismus, illud oratori vocatur enthymema, uti fatetur ipse ARISTOTELES (b). Sed quid sentiendum est de illa differentia inter enthymema verum & sophisticum vel apparens. Oritur hæc distinctio, quoniam in dialecticis quædam sunt re vera *ενδοξα*, quædam *φαινομενωσ*. Verum enim vero quemadmodum tam vera enthymemata, quam eorundem *αληθωσ ενδοξα* certos agnoscunt locos, unde deducantur, ita sophisticis quoque enthymematibus cum suis *ενδοξοισ φαινομενοισ* nonnulli sunt loci partim in dictione ipsa, partim extra dictionem decipere facientes. Cum autem apparentia & sophistica enthymemata ex huiusmodi locis deducta similia sint sophisticis elenchis ab Aristotele in illa topicorum appendice, quæ de elenchis agit, expositis, iisdem quoque eadem ferme applicanda erit solutio, quæ sophistarum elenchis alias opponi debet, ut cum NIEMEIERO (c) dicam.

## §. VII.

Explicata hætenus natura atque essentia enthymematis, nunc ad modum illa enthymemata in orationibus adhibendi progrediendum erit. Argumenta, quæ oratores adhibere solent, dividuntur in artificialia & inartificialia.

B 3

tificialia

(a) I. Prior. xxvii. §. 9.

(b) I. Rhetor. II. §. 24.

(c) dissert de enthymemate §. LXXXVI.

tificialia argumenta dicuntur, quæ oratoris ingenio & arte excogitari nequeunt, sed aliunde suppeditari & oratori quasi in manum tradi debent; cuiusmodi sunt leges principum, civitatumque, testimonia hominum fide dignorum, pacta populorum aut civitatum, confessiones per tormenta elicita, iurandum, testimonia prophetarum & apostolorum in scriptura sacra consignata, dicta & testimonia S. patrum, de quibus ex professo agit B. CHRISTOPHORVS SCHRADEVS (a): Artificialia argumenta sunt illa, quæ oratoris ingenio & arte excogitantur. Quorum etiam ipse ARISTOTELES mentionem facere videtur, quando dicit (b): *Constet ex tribus oratio, ex eo, qui dicit, & de quo dicit, & ad quem dicit.* Hinc etiam fit, ut tria sint genera, unum quod positum est in moribus ipsius dicentis: alterum in eo, ut certo modo afficiatur auditor: tertium, ut aut demonstret, aut demonstrare videatur. Talia argumenta artificialia sunt enthymemata exempla & affectus. Quanquam autem interdum orator argumentis inartificialibus, testimoniis scilicet scripturæ sacrae & Spiritus Sancti contentus esse possit, imprimis, cum illa argumenta in verbo ipsius Dei fundata certissima atque firmissima sint; attamen artificialibus quoque argumentis demonstrare potest. Hinc probe orator expendat, quæ alterutri cohærent aut repugnant. Quando autem enthymemata conficiantur ex *εὐδοξοῖς*, ex verisimilibus, quæ huic vera alteri falsa videntur, an hæc enthymemata

locum

(a) de Rhetor. Aristot. usu & sententia commentario in cap. xv, lib. I. p. m. 192.

(b) I. Rhetor. III. §. I.



locum habere possunt in orationibus, cum vera non falsa ab oratore sint proferenda? Verum enim vero respondendum est, verisimilia non semper esse falsa, alias enim dicerentur falsissimilia, non autem verisimilia. Præterea etiam ex superioribus iam constat, *εὐδοξία* secundum ARISTOTELEM (a) quidem dici, quæ huic vera alteri falsa videntur, at secundum PLATONEM (b) quæ multitudini ita videntur, illaque *εὐδοξία* ita sint comparata, ut sese habeant tanquam universale ad particulare, si enim orator ex particulari probare vellet universale, non esset *εὐδοξόν*, sed *συναίσιον*. Ipse ARISTOTELES (c) hoc docet; *Necesse est & enthymema, & exemplum esse de iis, quæ aliter se habere possunt. --- Verisimile quidem est, quod plerumque fit, non simpliciter tamen, ut quidam definiunt, sed id demum, quod ita affectum est ad id, ad quod probandum adhibetur, ut universum ad particulare.* Enim vero illa quæ per certa intervalla fiunt, ut naturales rerum conversiones, plerumque fieri recte dicentur, si absolute loqui velis, quam necessario eveniunt. Quare ad definitionem verisimilis merito sunt addenda, primo materiam illius talem esse, quæ aliter atque aliter se habere possit; deinde quod ita affectum sit ad probandam conclusionem, ut universum ad particulare. Huius sententiæ quoque est ARISTOTELES (d): *Illæ, inquit, Dialectica syllogismo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quedam etiam iis, qui delirant) sed ex iis, quæ ratione indigent; Rhetorica vero ex iis, quæ in consultationem veniunt. Est autem proprium opus*

ac mis-

(a) I. Top. I. §. 7.

(b) in Phædro.

(c) I. Rhetor. II. §. 34. & 38.

(d) I. Rhetor. II. §. 29. & 30.

ac munus ipsius de eiusmodi rebus dicere, de quibus deliberatur, quaque arte non continentur. Ex his igitur constat, non omnes enunciationes esse aptas ad enthymema in orationibus conficiendum, sed debere esse *εὐδοξίας*, quæ probabiles sint, & tales, ut per eas auditoribus persuadere aliquid possimus. Nam si enthymema non constat ex probabilibus, quæ ab auditoribus accipiantur, tunc cessabit finis oratoris, qui est persuasio. Rhetor enim vel orator omnia refert ac dirigit ad auditorem tanquam finem cui. Hinc etiam CICERO (a): *Omnis, inquit, argumentatio aut probabilis, aut necessaria debet esse: Etenim, ut breviter describamus; argumentatio videtur esse inventum aliquo ex genere, rem aliquam aut probabiliter ostendens aut necessarie demonstrans: at tamen illorum necessariorum, ex quibus fiunt syllogismi oratorii, pauca sunt.*

## §. VIII.

Sed & ex signis conficiuntur enthymemata. Nam quod & signa probare aliquid possint, patet ex ipsa definitione signi. Signum enim, ut ex superioribus constat, est propositio demonstrativa aut necessaria aut probabilis. Si autem signum est propositio demonstrativa, utique & signo orator demonstrare potest. Confundenda autem non sunt signa cum effectibus. Quanquam enim non negandum est, effectus proprios signa esse, ex quibus causæ dignosci possunt, veluti ex vestigiis feræ, quæ sine dubio eius effectus sunt, cognoscitur adfuisse feram: tamen non omnia signa sunt effectus. Triplicis enim

(a) 1. de Invent.

enim generis sunt signa, alia cum re coniuncta, velut fumus cum igne, unde fumus est signum ignis; alia, quæ rem præteritam declarant, ut cineres relictæ, ignem fuisse; alia rem futuram indicant, ut vulnus in corde futuram mortem. Ex quibus, quod hæc non sint effectus eorum, quorum *κρίτησια* sunt, satis apertum est. Quando autem gallinæ cantus signum est, quod pepererit, ovum: neutrum vel alterius effectus vel causa, sed adiunctum est. Quod exemplis quoque illustrasse, B. NIE-  
MBIERVM (\*) legimus: Demonstrat signum tripliciter: 1. ex eo, quod antecedit rem, v. g. Luna rubet, Ergo ventus orietur; Hic homo segnis & socors est, Ergo ad paupertatem brevi redigetur tempore. Milo offensus fuit a Clodio, Ergo Milo vindictam cogitavit; Iudex munera a reo accepit, Ergo pro reo pronunciabit. 2. ex eo, quod rem sequitur, v. g. Hæc fœmina habet lac perfectum, Ergo peperit; Hoc corpus est luridum, Ergo veneno fuit infectum; Hic homo raro inest cœtibus sanctorum, raro sacræ eucharistiæ fit particeps, nec charitas in eo est efficax, Ergo fidei naufragium fecit. 3. ex eo, quod cum re ipsa coniunctum, e. c. Milo odio in Clodium accensus noctu per plateas gladium vagina vacuum circumtulit, Ergo quæsit Clodium interficere. Hic homo pallet, Ergo ægrotat. Hic homo, mortalis cum sit, iram tamen servat immortalem, Ergo charitas in eo non est. Cum autem signa sint vel necessaria, vel non necessaria, utriusque generis signis probatio quædam inest, necessariis tamen maiorem vim demon-

C

strandit

(\*) dissertatione sæpius allegata de cathymemate §. XXII.

strandendi inesse, nemo negabit. PLANERVVS (a) Signi, inquit, necessarii usus est in demonstrationibus imperfectis, quæ orti esse vocantur, in quibus per effectus & φαινόμενα, tanquam signa demonstramus ipsas causas. Signa enim necessaria sese habent tanquam universale ad singulare. Signa autem non necessaria tanquam singulare ad universale, & quod illa signa quæ sese habent tanquam universale ad singulare demonstrant, docet ARISTOTELES (b): Qui (syllogismus ex signo) fit in prima figura, est insolubilis, si verus sit: universalis enim est. Qui vero fit in postrema, solvi potest, etiamsi conclusio vera sit: quia syllogismus non est universalis, nec ad rem.

### §. IX.

Sed ad modum eruendi & conficiendi enthymemata nos conferemus. ARISTOTELES (c) ex professo agit de modis quærendorum enthymematum & de locis, cum ostendit, quod enthymemata nec longe peti nec promiscue omnia adhiberi debeant, quodque ex iis, quæ auditoribus nota & probata sint, tam ex necessariis, quam ex contingentibus peti debeant. Scilicet, quando orator conclusionem oratorie demonstrare & auditoribus persuadere vult, ante omnia est, conquirere enthymemata & illa reiicere, quæ longius petita & ob id a scopo sunt remota, illaque tantummodo attendere, quæ de subiecto aut prædicato demonstrandæ conclusionis vere prædicantur. Illud probat ARISTOTELES hoc capite (d): Neque enim longe repetentem, neque omnia sumentem concludere oportet.

(a) in II. prior. cap. xx. p. 507. & 508.

(b) II. Prior. xxvii. §. 9.

(c) II. Rhetor. cap. xxii.

(d) II. Rhetor. cap. xxii. §. 3. seq.

tet. *Illud enim obscurum est propter longitudinem: hoc autem inanis  
 quedam loquacitas, quia aperta & perspicua dicuntur. Nam & haec  
 est causa, cur apud imperitam multitudinem aptiores sint ad persuaden-  
 dum ineruditi quam eruditi. Quemadmodum aiunt poete, indoctos  
 in vulgus magis ad dicendum esse musicos. --- Itaque non ex omnibus,  
 quae videntur, sed e definitis quibusdam dicendum est: ut aut iis, qui  
 iudicant, aut iis, quorum ipsi iudicio acquiescunt. --- Primum igitur  
 intelligendum est, quicumque de re aliqua dicturus vel disputaturus est  
 sive syllogismo politico, sive quolibet alio ei necessario, quae in ea re in-  
 sunt aut omnia aut pleraque nota esse oportere. --- Neque enim undecum-  
 que argumenta ducunt, sed ex iis, quae in quaque re insunt: nam &  
 ratio pervincit, fieri non posse, ut quisquam aliter id, quod vult, probet.  
 --- Quanto enim plura eorum, quae insunt, tenebuntur a dicente, tanto fa-  
 cilius erit argumentari: quanto autem propinquiora, tanto magis pro-  
 pria erunt, minusque communia. Non autem hoc ita est intelli-  
 gendum, quod communia enthymemata plane sint reiicienda,  
 sed quod enthymemata propria magis probent quam commu-  
 nia. Exemplo hoc fiet clarius. Quando orator auditores ad  
 humilitatem hortari vellet & enthymema desumeret a man-  
 dato divino, illud enthymema esset commune; quando vero  
 tale esset enthymema, humiles enim a Deo exaltantur, pro-  
 prium foret. Prius enthymema generale non est spernendum,  
 quoniam & hoc auditoribus persuadere quid potest, quicquid  
 enim Deus iubet, hoc est faciendum. Verum enim vero hoc  
 enthymema nimis generale est, omnibusque in orationibus  
 adhiberi potest. Posterius enthymema & proprium & audi-  
 toribus*

toribus magis persuadet, quam prius. Similiter quando orator ad sobrietatem hortaturus esset, enthymema hoc esse posset, quia virtus est, at hoc enthymema nimis generale foret, non tamen reiiciendum, quoniam quicquid virtus est, illud est festandum; quando vero hoc adhiberet enthymema, quoniam sobrietas facit ad conservandam valetudinem, specialius & ad persuadendum aptius esset. B. SCHRADERVS (a) hoc bene advertit, inquiens; *Nimis remota & seiuncta a re, de qua agitur, non docebunt, nedum commovebunt auditorem, & QUINTILIANVS (b) Interdum videntur indocti copiam habere maiorem, quod dicunt omnia: doctis est electio & modus.* Huc quoque referri potest illud THEMISTII (c). *Peccat Anacharsis, cum percontantibus causam, quod in Scythia tibicines nulli essent, respondit, quia vitem non ferret: remotissima est haec causa, nam proxima erat, quia temulenti Scythae non fierent; causa huius, quia temetum non haberent; huius, quia vites essent iis negata.* Ex his igitur liquet, propria enthymemata maiorem vim maioremque veritatem habere, quam communia. Hinc orator, si auditores eruditi sint, subtilius argumentetur; si ineruditi, argumenta proferat, quae rudior mens capiat & probet. Praeterea oratores eruditi, qui rerum scientiam sibi comparavere, ex propriis & interioribus scientiarum principiis argumentari debent: cum indocti communia & universa, tanquam turbae notiora loquantur.

S.X.

(a) Comment. in Aristot. lib. II. cap. XXII. p. m. 414.

(b) Institut. orat.

(c) paraphrasi in lib. I. poster. Aristot. cap. XXVIII.

S.

## §. X.

Sed ut hæc melius intelligantur, sic habendum est. Loci, ex quibus enthymemata sumuntur, sunt triplicis generis, vel proprii, vel communes, vel communissimi. Loci proprii sunt illi, qui desumuntur ex quolibet causarum genere. Sunt autem, ut manifestum est, tria genera: genus deliberativum, demonstrativum & iudiciale. Sic generis deliberativi locus proprius est bonum & malum, demonstrativi honestum & turpe, iudicialis iustum & iniustum. Generis deliberativi loci proprii sunt, felicitas, nobilitas, bona ac multa proles, divitiæ, bona existimatio, honor, sanitas, pulchritudo, robur, magnitudo, vires ad certandum aptæ, commoda senectus, multorum ac bonorum amicitia, bona fortuna, virtus, qui loci recensiti sunt ab ARISTOTELE (a). Ex his igitur locis orator enthymemata desumere potest. Patet hoc exemplo illo allato a SCHRADEO (b): Quando orator hanc velit demonstrare conclusionem enthymematibus, *studia optimarum literarum ac vera sapientiæ diligenter sunt excolenda*, sequentia adhiberi possent enthymemata: 1. studia literarum & sapientiæ pariunt felicitatem, 2. studia literarum & sapientiæ augent felicitatem, 3. studia literarum & sapientiæ conservant felicitatem, 4. studia literarum & sapientiæ pariunt nobilitatem, 5. studia literarum & sapientiæ conservant nobilitatem, 6. studia literarum & sapientiæ augent nobilitatem, 7. studia literarum & sapientiæ pa-

C 3,

riunt

(a) Rhetoricorum lib. I. cap. 5.

(b) Commentario sæpius laudato atque

allegato in hoc caput p. m. 57.

riunt bonam & multam prolem, 8. studia literarum & sapientiae conservant bonam & multam prolem, 9. studia literarum & sapientiae augent bonam & multam prolem, 10. studiis literarum & sapientiae parantur divitiae, 11. studiis literarum & sapientiae conservantur divitiae, 12. studiis literarum & sapientiae augentur divitiae, 13. studia literarum & sapientiae pariunt bonam existimationem, 14. studia literarum & sapientiae conservant bonam existimationem, 15. studia literarum & sapientiae augent bonam existimationem, 16. studia literarum & sapientiae pariunt honores eiusque partes, 17. studia literarum & sapientiae conservant honores eiusque partes, 18. studia literarum & sapientiae augent honores eiusque partes, 19. studia literarum & sapientiae pariunt commodam senectutem, 20. studia literarum & sapientiae conservant commodam senectutem, 21. studia literarum & sapientiae augent commodam senectutem, 22. studia literarum & sapientiae pariunt varias virtutes, 23. studia literarum & sapientiae conservant varias virtutes, 24. studia literarum & sapientiae augent varias virtutes, quibus addi possent alia enthymemata; 25. pariunt divini numinis tutelam, 26. conservant divini numinis tutelam, 27. augent divini numinis tutelam, 28. pariunt felix coniugium, 29. conservant felix coniugium, 30. augent felix coniugium, 31. pariunt libertatem, 32. conservant libertatem, 33. augent libertatem, 34. pariunt pacem, 35. conservant pacem, 36. augent pacem & multa alia. Hoc quoque in dehortandis vitiis adhiberi potest, quando loco parere, conservare atque augere,

voces



voces tollere, imminuere, impedire & contrarium adducere adhibentur. e.g. Si orator *bellum non temere esse suscipiendum* oratorie demonstrare atque enthymematibus probare vellet, enthymemata sequentia esse possent: 1. Bellum tollit felicitatem, 2. bellum imminuit felicitatem, 3. bellum impedit felicitatem, 4. bellum contrarium felicitatis, hoc est, miseriam adducit, 5. bellum tollit nobilitatem, 6. imminuit nobilitatem, 7. impedit nobilitatem, 8. contrarium nobilitatis, hoc est, ignobilitatem adducit, 9. bellum tollit bonam & multam prolem, 10. imminuit bonam & multam prolem, 11. impedit bonam & multam prolem, 12. contrarium adducit, hoc est, *ατεχνιαν*, 13. bellum tollit divitias, 14. imminuit divitias, 15. impedit divitias, 16. contrarium, hoc est, paupertatem adducit, 17. bellum tollit bonam existimationem, 18. imminuit bonam existimationem, 19. impedit bonam existimationem, 20. contrarium, malam existimationem adducit, 21. bellum tollit honores eiusque partes, 22. imminuit honores eiusque partes, 23. impedit honores eiusque partes, 24. contrarium adducit, 25. bellum commodam tollit senectutem, 26. imminuit commodam senectutem, 27. impedit commodam senectutem, 28. contrarium adducit, 29. bellum tollit virtutes, 30. imminuit virtutes, 31. impedit virtutes, 32. contraria, hoc est, vitia adducit, 33. tollit divini numinis tutelam, 34. imminuit divini numinis tutelam, 35. impedit divini numinis tutelam, 36. contrarium nempe desertionem divini numinis adducit, 37. bellum tollit felix coniugium, 38. imminuit felix coniugium, 39. im-

39. impedit felix coniugium, 40. contrarium adducit, 41. bellum tollit libertatem, 42. imminuit libertatem, 43. impedit libertatem, 44. contrarium nimirum servitutem adducit, 45. bellum tollit pacem, 46. imminuit pacem, 47. impedit pacem, 48. contrarium adducit. Quando igitur orator ad temperantiam adhortari & de intemperantia auditores suos dehortari vellet, ex his ab Aristotele enumeratis locis quædam adhibere posset enthymemata. Esto conclusio demonstranda; *temperantia est studendum*, Enthymemata ex his locis sunt sequentia: 1. Temperantia parit felicitatem, 2. conservat felicitatem, 3. auget felicitatem, 4. temperantia parit divitias, 5. conservat divitias, 6. auget divitias, 7. temperantia parit bonam existimationem, 8. conservat bonam existimationem, 9. auget bonam existimationem, 10. temperantia parit honores, 11. conservat honores, 12. auget honores, 13. temperantia parit sanitatem, 14. conservat sanitatem, 15. auget sanitatem, 16. temperantia parit pulchritudinem, 17. conservat pulchritudinem, 18. auget pulchritudinem, 19. temperantia parit robur, 20. conservat robur, 21. auget robur, 22. temperantia parit commodam senectutem, 23. conservat commodam senectutem, 24. auget commodam senectutem, 25. temperantia parit multorum & bonorum amicitiam, 26. conservat multorum ac bonorum amicitiam, 27. auget multorum & bonorum amicitiam, 28. temperantia parit bonam fortunam, 29. conservat bonam fortunam, 30. auget bonam fortunam, 31. temperantia parit virtutes, 32. conservat virtutes, 33. auget virtutes. Quod si de intem.

intemperantia auditores dehortari cuperet, enthymemata sint:  
 1. Intemperantia tollit felicitatem, 2. imminuit felicitatem,  
 3. impedit felicitatem, 4. contrarium adducit, 5. intemperan-  
 tia tollit divitias, 6. imminuit divitias, 7. impedit divitias,  
 8. contrarium adducit, 9. intemperantia tollit bonam existi-  
 mationem, 10. imminuit bonam existimationem, 11. impedit  
 bonam existimationem, 12. contrarium adducit, 13. intempe-  
 rantia tollit honores, 14. imminuit honores, 15. impedit ho-  
 nores, 16. contrarium adducit, 17. intemperantia tollit sani-  
 tatem, 18. imminuit sanitatem, 19. impedit sanitatem, 20. con-  
 trarium adducit, 21. intemperantia tollit pulchritudinem, 22.  
 imminuit pulchritudinem, 23. impedit pulchritudinem, 24.  
 contrarium adducit, 25. intemperantia tollit robur, 26. in-  
 minuit robur, 27. impedit robur, 28. contrarium adducit,  
 29. intemperantia tollit commodam senectutem, 30. imminuit  
 commodam senectutem, 31. impedit commodam senectutem,  
 32. contrarium adducit, 33. intemperantia tollit multorum ac  
 bonorum amicitiam, 34. imminuit multorum ac bonorum  
 amicitiam, 35. impedit multorum ac bonorum amicitiam, 36.  
 contrarium adducit, 37. intemperantia tollit bonam fortunam,  
 38. imminuit bonam fortunam, 39. impedit bonam fortunam,  
 40. contrarium adducit, 41. intemperantia virtutes tollit,  
 42. imminuit virtutes, 43. impedit virtutes, 44. contrarium  
 adducit. Taceo multa alia exempla, quæ ab oratore hoc  
 modo & ex his locis desumi possent.

## §. XI.

Hæc hætenus prolata argumenta ad genus deliberati-  
 D vum

vum pertinentia tantum desumta sunt a felicitate & partibus eius. Ad genus deliberativum quoque pertinet bonum atque utile, cuius loci ab ARISTOTELE (a) sic describuntur: Quod ipsum propter se expetendum est, illud est bonum, cuius causa aliud expetimus, quod appetunt omnia aut ea, in quibus inest mens aut sensus aut si mentem accipiant, quæcunque mens unicuique suggesserit, quicquid mens, quæ in quoque est, illi attribuit, quo præsentem bene se habet, neque quidquam præterea requirit, quod sibi ex se sufficit, quod efficiendi aut conservandi vim habet, quo posito talia sequuntur, quæ vim habent aut prohibendi aut tollendi ea, quæ talibus adverfantur. Ex his locis sequenti modo enthymemata erui possent. Sit conclusio demonstranda, *Temperantia est studendum.* Si non omnia, apta tamen sunt adhibenda enthymemata, scilicet ea, quæ de subiecto huius conclusionis aliquid vere demonstrare possunt: 1. temperantia propter se est expetenda, 2. temperantia causa aliud expetimus, 3. temperantiam appetunt, si non omnes tamen boni, 4. temperantiam esse appetendam mens suggessit, 5. temperantiam mens homini attribuit, 6. temperantia præsentem bene sese habent res hominis, 7. temperantia ex se sufficit, 8. temperantia valetudinem conservandi vim habet, 9. temperantia posita aliæ virtutes consequuntur, 10. temperantia vim habet prohibendi ea, ex quibus vitia existunt virtutibus contraria; ex his sequitur conclusio demonstranda, *Ergo temperantia est studendum.* Quæ propositiones etiam de contrario adhiberi possunt. *Intemperantia est*

(a) I. Rhetoricorum Cap. VI. §. 1. seq.

est fugienda, propositio sit. Enthymemata sequentia esse possunt: 1. Intemperantia propter se non est expetenda, quia est vitium, 2. intemperantiæ causa nihil expetimus, 3. intemperantiam non expetunt illi, qui boni sunt, 4. intemperantiam esse appetendam mens non suggestit, neque 5. homini attribuit, 6. intemperantia præsentem male sese habent omnia, 7. intemperantia homini non sufficit neque reddit eum absolutum, ut præterea nullo opus habeat, 8. intemperantia valetudinem conservandi vim non habet, 9. intemperantia posita aliæ virtutes non sequuntur, 10. intemperantia vim habet temperantiam tollendi atque impediendi, Ergo intemperantia est fugienda. Sunt quoque alii loci, ex quibus enthymemata desumi possunt & vocantur loci boni controversi, quia dubitationem aliquam habent. Tales describuntur ab ARISTOTELE (a): Cui quod adversatur malum est, cui quod pugnat, hostibus prodest, quod hostes volunt & quo gaudent, ei quod pugnat, quod nimium esse non potest, cuius causa multi labores suscepti, multi sumtus facti sunt, quod multi appetunt, quod dignum, pro quo suscipiantur contentiones, quod laudabile est, quod hostes quoque laudant, quod quis aut prudentium aut præstantium virorum iudicio suo aliis anteposuit, quæ aliis consulto anteponuntur, quæ nemo alius obtinet, quæ sibi conveniunt atq; apta sunt, quæ sibi deesse putant, etiamsi exigua sint, quæ facile ad exitum adduci possunt, quæ amicis grata, inimicis molesta fore norunt, quæcunque sibi conciliare student ii, quos ipsi admirantur, ad quæ natura

HIII

D 2

facti

(a) Rhetoric, lib. 1. Cap. xi. §. 24. sqq.

facti quorumque periti, quæ nemo abiectus aut parvi pretii, quæ concupiscunt, ad quæ natura propensi sunt. Hi loci ita sunt comparati, ut omnes adhiberi non possint. Exempli causa; Sit iterum conclusio, *temperantia est studendum*, enthymemata esse possunt: 1. Temperantiæ adversatur malum scilicet intemperantia, 2. temperantiæ contrarium hostibus prodest, 3. intemperantiam impii volunt eaque gaudent, 4. temperantiæ causa multi labores sunt suscepti, 5. temperantiam multi appetunt, 6. temperantia laudabilis est, 7. temperantiam quoque impii laudare tenentur, 8. temperantia homini convenit aptaque est, 9. temperantia nimia esse non potest, 10. temperantia amicis grata est, 11. temperantiam nemo abiectus æstimat, 12. temperantia desideratur. Sic etiam de contrario intemperantia sentiendum est. Propositio sit: *intemperantia est fugienda*, enthymemata essent sequentia: 1. Intemperantiæ adversatur bonum, 2. intemperantiæ contrarium piis prodest, 3. intemperantiam pii nolunt & ea non gaudent, 4. intemperantia laudabilis non est, 5. intemperantiam pii non laudant, 6. intemperantia non convenit homini neque apta est, 7. intemperantia nimia esse potest, 8. intemperantia piis grata non est &c. Hæc enthymemata Aristotelis a Doctoribus ecclesiæ adhibita quoque sunt. Audiamus præclarum illum CHRYSOSTOMVM (a): Ab initio Deus hominem formans legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit & a natura inditam esse voluit, bonorum & contrariorum

(a) Homil. XII. ad popul. Antioch. p. 159.

rum scientiam. Non enim opus habemus discere, quod ma-  
lum est fornicatio & bonum continentia, sed ab initio hoc  
scimus. Et ut discas, quod ab initio hoc scimus, legislator  
leges postea ferens & dicens; non occides, non intulit, ma-  
lum enim cædes, sed simpliciter, non occides, inquit, prohi-  
buit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur, qui  
dixit non occides, non addidit, quod malum cædes? quoni-  
am præueniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scien-  
tibus & intelligentibus, ita loquitur. Cum igitur de alio  
loquitur mandato, non nobis noto per conscientiam factò,  
non tantum prohibet sed & causam apponit. De sabbatho  
itaque legem ferens & dicens: septima die non facies opus:  
subiunxit causam quoque cessationis, qualem vero? quod in  
die septima requieuit Deus. Idem (a): Luceat lux vestra co-  
ram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent  
patrem vestrum, qui est in cælis. Cum enim viderit infide-  
lis te fidelem compositum, modestum, ornatum esse, mira-  
bitur & dicet: Vere magnus Christianorum Deus: quales  
constituit homines, quales ex qualibus fecit, angelos ex ho-  
minibus ipsos reddidit. Si quis contumeliam fecerit, non  
conviciantur; si quis percusserit, non ægre ferunt; si quis in-  
iuriam intulerit, pro his qui se læserint, orant; inimicum non  
habent, iram servare non norunt, mentiri non didicerunt, pe-  
ierare non sustinent.

## §. XII.

Sed inspiciendi quoque sunt loci generis demonstrativi,

D 3

ex

(a) Homil. XI. ad popul. Antioch. p. 130.

ex quibus enthymemata desumi possunt, & adducuntur ab ARISTOTELE (a): Quibus pro præmio positus est honos, quibus honos magis quam pecunia, quæ cum expetenda sint non sua causa quis facit, quæcunq; quis propria utilitate neglecta pro patria fecit, quæ simpliciter bona sunt, quorum fructus non ad ipsum pervenit, qui ea facit, quæ mortuo potius quam vivo tribui solent, quæcunque opera ad aliorum commodum pertinent, quæcunque beneficentiæ munera in alios exercentur, ita ut ad ipsum non pertineant, quæ in eos, qui beneficio provocarunt, quæcunque beneficia non ad eum, qui dat, pertinent, quorum contraria propter quæ erubescunt, pro quibus sine ullo timore decertant, quæ natura præstantiora, quorum fructus ad alios potius quam ad ipsos pervenit, victoria & honos in rebus pulchris sunt, quæ facile in hominum memoria hærent, quo quidque magis tale est eo pulchrius, quibus honos coniunctus est, quæ eximia sunt quæque unius propria, possessiones ex quibus nullus fructus percipitur, quæ proprie apud quemque populum pulchra habentur, quæ cum nulla arte sordida exercentur. Si ex his locis orator enthymemata sumere velit, talem ordinem observet. v. g. Iterum esto conclusio demonstranda: *Temperantia studendum*, enthymemata sunt sequentia: 1. Temperantiæ pro præmio positus est honos, 2. temperantiæ honos magis quam pecunia, 3. cum; temperantia expetenda sit, non sua causa quis facit, 4. temperantia simpliciter bona est, 5. temperantia mortuo potius

(a) I. Rhetor. Cap. ix. §. 19. seq.



tius quam vivo in honorem tribui solet, 6. temperantia ad aliorum commodum pertinet, v. g. ut in solatium liberorum quis diutius vivat, 7. propter intemperantiam alii erubescunt, 8. temperantia natura præstans est, 9. temperantia facile in hominum memoria hæret, 10. temperantia pulchra est, 11. temperantia eximia, 12. temperantia apud quemlibet populum pulchra habetur, 13. temperantia nullam artem sordidam exercet. Addi quoque possunt propositiones illæ generales ab ARISTOTELE (a) recensitæ: 14. temperantiæ enim subiicitur virtutis definitio & partes, 15. temperantia virtutis effectus est, 16. temperantia a virtute proficiscitur. Sic quoque de intemperantia adhiberi possunt: 1. Intemperantiæ enim pro præmio positus non est honos, 2. intemperantiæ non magis honos quam pecunia, 3. intemperantia simpliciter bona non est, 4. intemperantia neque mortuo neque vivo in honorem tribuitur, 5. intemperantia non ad aliorum commodum pertinet, 6. propter temperantiam alii non erubescunt, 7. intemperantia natura non præstans est, 8. intemperantia pulchra non est, 9. intemperantia non est eximia, 10. intemperantia apud quemlibet populum pulchra non habetur, 11. intemperantia multas artes sordidas exercet, 12. intemperantiæ neque virtutis definitio neque partes subiiciuntur, 13. intemperantia virtutis effectus non est, 14. intemperantia a virtute non proficiscitur. Ad hoc genus demonstrativum, cuius locos iam recensuimus, illud merito referendum est, quando CHRYSOSTOMVS (b) apem laudaturus ita dicit: A formica quidem labo-

(a) 1. Rhetor, Cap. IX, §. 6. 7. &amp; 8.

(b) Homil. XII, ad Antioch. p. 157.

laborositatem ab ape vero munditiam & solertiam disce & charitatem. Etenim illa non magis sibi ipsi, quam nobis laborat & quotidie fatigatur: quod maxime Christiano proprium est, non sua quærere, sed quæ sunt aliorum. Sicut igitur illa circumvolat omnia prata, ut promptam alteri præparet mensam. Sic & tu fac homo, sive pecunias congreges, in alios expende; sive doctrinæ verba, ne defodias, sed apponas indigentibus in medium sive aliud peculiare habeas, laborum tuorum indigentibus utilis fias; Non cernis, quod propterea animalium gloriosissima est apis, non quia laborat, sed quoniam aliis laborat? quoniam & aranea laborat & fatigatur & tenues per parietem extendit texturas, omnem mulieris sapientiam excedentes, sed est ignobile animal, quoniam opus eius nobis nullatenus est utile; tales sunt sibi laborantes & se defatigantes. Huc referendæ sunt laudationes CHRYSOSTOMI, quibus Abrahami, S. Ignatii, Babylæ, Iuventini, Meletii, Luciani, Barlaami, Theclæ, Bernices, Pelagiæ laudes persequitur. Item GREGORII NAZIANZENI X, quæ est in laudem Cæsarii fratris & XI. in Gorgoniæ sororis &c.

## §. XIII.

Tertium genus proprium, ex quo enthymemata erui possunt, est genus iudiciale. De locis huius generis ex professo agit ARISTOTELES (a), & sunt sequentes: Iucundum atque suave est, ad id, quod naturæ consentaneum, tendere, cui assuevimus, quod violentum non est, quicquid cupimus, iucunda con-

(a) 1. Rhetoricorum, Cap. xi. §. 3. seq.

da consistunt in sensu præsentium, quæ sunt præterita, memoria tamen hærent, quæ spe præcipiuntur futura, dulce quoque est ulcisci se, vincere non iis modo, qui victoriæ cupidi sunt, sed omnibus, honos & bona existimatio iucunda est, eadem crebro facere, alia ex aliis mutare dulce, discere & admirari iucundum, beneficium tribuere & accipere, iucunda sunt ea, quibus imitatio aliqua continetur, quicquid bene ac scienter ad exemplar factum est, inchoata perficere, imperare, sapientem videri &c. Apparebit id in illo exemplo sæpius allato, *Temperantia est studendum*, si enim temperantiæ studeamus, Deum habemus benevolum, tranquillam conscientiam, quæ iucunda sunt. Quicquid autem habet iucunda concomitantia, illud est appetendum. Temperantia habet multa iucunda concomitantia, Ergo est appetenda. Iucundum enim est Deum habere benevolum. 1. Cupimus enim omnes, ut Deum habeamus benevolum, 2. Deum habere benevolum honos & bona existimatio est, 3. Deum benevolum habentes accipiunt beneficium. Tranquillam conscientiam habere iucundum est. 1. Tranquillitas enim consentanea est naturæ, 2. tranquillam conscientiam cupimus, 3. tranquillitas conscientiæ non solum consistit in sensu præsentium, verum etiam præteriti & quæ sunt futura, 4. tranquilla conscientia vincere possumus omnes hostes nostros, 5. tranquillam habere conscientiam idem est ac beneficium accipere. Sic quoque de intemperantia hæc possunt adhiberi enthymemata, quod *intemperantia sit fugienda*. Si enim intemperantiæ simus dediti, Deum habemus

E

inimi-

inimicum & perturbatam conscientiam. Quicquid autem molestiam affert, illud est fugiendum. Atqui intemperantia molestiam affert, Ergo est fugienda. Deum enim habere inimicum molestiam affert, 1. cupimus enim omnes Deum benevolum, 2. Deum inimicum habere, neque honor neque bona existimatio est, 4. eo ipso nulla beneficia a Deo accipimus. Perturbatam habere conscientiam molestum est, 1. consentaneum naturæ non est, 2. id non cupimus, 3. in nulla delectatione consistit neque in sensu præteriti, præsentis neque futuri boni, 4. perturbata conscientia non vincimus, sed potius vincimur, 5. beneficium non accipimus. Sileo alios locos, qui ex hoc genere iudiciali hauriri potuissent, sed ob temporis rationem omittendi fuerunt.

## §. XIV.

Assumere quoque potest orator locos ex alio genere v. g. licet genus deliberativum locos de proprio & utili sibi proprios habeat, interdum tamen alios quoque tanquam auxilia assumere potest, v. g. iustum ac iniustum, honestum & turpe, qui loci vocantur loci assumti. Indicat hoc ARISTOTELES (a): *alia autem tanquam auxilia ita assumit, ut ad hoc referat iustum aut iniustum, honestum aut turpe.* Sed progrediendum erit ad locos communes, quorum mentionem facit ARISTOTELES (b) & sunt sequentes: Possibile, factum, futurum & magnum; illorumque contraria: impossibile, non factum, non futurum, parvum. Ex possibili loci sunt sequentes; si unum contrariorum fieri potest, videtur

(a) 1. Rhetor. 3. §. 12.

(b) 11. Rhetor. 213.

videtur & alterum posse fieri; si simile possibile est, alterum quoque possibile est; si difficilius possibile, possibile quoque est facilius; cuius principium possibile est, illius finis est possibilis; cuius finis possibilis, illius initium possibile; si posterius essentia aut ortu possibile, etiam prius est possibile; quorum amor aut cupiditas a natura inest; quorum scientiæ sunt atque artes, ea quoque possibile est & esse & fieri; quorum ortus principium in iis est, quæ nos aut cogere aut in sententiam nostram adducere possumus; quorum partes posibles sunt, etiam totum; si totum possibile est, etiam partes; si genus est eorum, quæ fieri possunt, etiam species & si species etiam genus; si alterum eorum, quæ eam naturam habent, ut inter se conferantur, possibile est, alterum quoque; si sine arte aut apparatu aliquid fieri potest, magis etiam poterit arte & diligentia adhibita; si deterioribus aut inferioribus aut imprudentioribus possibile est, magis erit iis, qui contrario modo affecti sunt. Sed ut res clarior fiat, utemur exemplo. Sit iterum hæc propositio; *Temperantia est studendum* enthymemata, quibus hæc conclusio demonstrari potest, desumenda sunt ex locis de possibili: 1. Possibile est homines intemperantiæ studere, ergo & temperantiæ, 2. possibile ab esu carniū homines abstinere, 3. possibile est per aliquot dies a potu & cibo plane abstinere, 4. possibile est occasionem potandi vitare, 5. possibile est per aliquot dies vitare intemperantiam, ergo per unum diem, 6. cupimus liberi esse a morbo, ergo temperanter vivere debemus, 7. possumus æqualia facere v. g. castitati studere, 8. possumus sine arte temperan-

E 2 tiæ

tia studere, ergo & arte adhibita, 9. possibile hoc fuit gentilibus ergo & christianis. Ex loco autem de facto enthymemata ab ARISTOTELE (a) descripta sunt sequentia: si quod per naturam minus fieri poterat, factum fuerit, & id quod magis; si factum est id, quod postea fieri solet, factum est id, quod prius; si potuit ac voluit, fecit; si & voluit & nulla res externa prohibebat; si potuit & iratus erat; si potuit & cupiebat; si inibi erat, ut faceret; quæ antea fieri solent, aut eius rei causa fieri solent, facta sunt; si tentavit, fecit etiam. Sed illa enthymemata melius in illis orationibus adhiberi possunt, in quibus orator demonstrare vult aliquid factum esse v. g. Deum curam gessisse maiorum, sequentibus enthymematibus probare potest: 1. Deus curam gessit animalium brutorum, 2. Deus hodie curam gerere solet, 3. Deus voluit ac potuit curam gerere, 4. voluit & nulla res externa prohibuit, 5. poterat & cupiebat, 6. inibi erat, ut faceret. Locus ille, si potuit, ac voluit, fecit, usurpatur a CLEMENTE ALEXANDRINO (b): *Aut omnium hominum curam non gerit Dominus, idque ei accidit, aut quod non possit (quod quidem est nefarium, est enim signum imbecillitatis) aut quod nolit, cum possit, quæ non est boni affectio.* Tertius locus est de futuro. Cuius hæc enthymemata ab ARISTOTELE (c) recensentur: quod in potestate ac voluntate positum est, erit; quod cupiditas, quod ira, quod ratio suadet, si adsit potestas; si antegressa sunt, quæcunque natura prius fieri solent; si quid huius causa factum sit. Atque hæc enthymemata

(a) II. Rhetor. Cap. XIX. §. 22. seq.

(b) VII. Stromatum p. 702.

(c) II. Rhetor. Cap. XIX. §. 33. seq.

enthymemata usurpantur in illis orationibus, quibus orator demonstrat, aliquid futurum esse. v. g. Fore, ut homines in vitam redeant, Plato & alii philosophi nonnunquam his argumentis approbarunt: 1. Deus potest propter potentiam & vult propter bonitatem (a), 2. suadet ira Dei erga improbos & ratio, ne malis bene, bonis male fecisse videatur (b), 3. redierunt ab inferis homines (c), 4. ideo animæ immortalitas & desiderium coniunctionis cum corpore instaurandæ, insitum est (d). Quid de loco magno sentiendum sit, exposituri sequimur **ARISTOTELEM** (e): *De magnitudine autem & parvitate rerum & de maiori ac minori, omninoque de magnis atque parvis, ex iis que iam diximus, constat. Dictum enim est in preceptis generis deliberativi & de magnitudine bonorum & simpliciter de maiori & minori. Itaque quando unicuique orationum generi finis propositus est bonum quoddam & utile & pulchrum & iustum, constat in quoque genere dicentibus amplificandi rationes ex iis esse sumendas. Præter hæc autem aliquid querere simpliciter & universe de magnitudine & exuperantia, nugari est. Singularia enim potiora sunt ad usum iis, que universe disputantur. Eodem modo est progrediendum cum impossibili, non factò, non futuro, & parvo. Scilicet loci ex impossibili sunt sequentes: si unum contrariorum fieri non potest, videtur & alterum non posse fieri; si simile impossibile, alterum quoque impossibile est; si facilius impossibile, impossibile etiam est difficilius; cuius*

E 3

princi-

(a) Vid. **CICERO** Tusc. I.(b) Vid. **SENECA** de providentia.(c) Ex. gr. **ER. Armenius** apud **Platonem** de republica **10mo**.(d) Vid. **IULIUS PACIUS** cap. 6. lib. 3. de anima.(e) **II. Rhetor.** cap. XIX. §. 38. seq.

principium impossibile, illius finis est impossibilis; cuius finis impossibilis, illius principium impossibile; si posterius essentia & ortu impossibile, etiam prius est impossibile; quorum amor aut cupiditas a natura non inest; quorum scientiæ non sunt neque artes, ea quoque impossibile est & esse & fieri; quorum ortus principium in iis non est, quæ nos aut cogere aut in sententiam cogere possumus; quorum partes impossibiles sunt, etiam totum; si totum impossibile, etiam partes; si genus eorum fieri non potest nec species, & si species, nec genus; si alterum eorum, quæ eam habent naturam, ut inter se conferantur, impossibile, alterum quoque; si neque arte neque diligentia aliquid fieri potest, multo minus sine arte aut apparatu; si prudentioribus impossibile est, etiam deterioribus & inferioribus impossibile erit. Velit orator demonstrare impossibile esse, ut anima intereat, uti poterit enthymematibus sequentibus: 1. impossibile naturæ est, ut corpus prorsus intereat, nedum ut anima, 2. impossibile est, ut anima dissolvatur, ergo etiam impossibile est, ut intereat, 3. non sane anima cupit interire, sed contrarium desiderium ei inest, 4. nulli læsioni obnoxius est animus, nulli morbo, nulli potestati mortali, ergo non interit. Quod vero ad locos de non facto pertinet, sunt ii, qui sequuntur: Si quod per naturam magis fieri poterat, factum non fuerit, neque id, quod minus; si factum non est id, quod postea fieri solet, non factum est id, quod prius; si neque potuit, neque voluit; si nec voluit & aliqua res externa prohibuit; si non potuit, neque iratus erat; si neque potuit  
neque



neque cupiebat; si inibi non erat, ut faceret; si quæ antea aut eius rei causa fieri solebant, facta non sunt; quando neque fecit neque tentavit. Sic, si quis docere vellet, factum non esse, ut affectibus serviens bonus iudex fuerit, uti posset his entymematibus: 1. Si vir sincerus sæpe male iudicavit, nedum, ut insincerus bene iudicaverit, 2. nec potuit insincerus recte iudicare propter affectuum perturbationem, nec voluit, ergo non fecit, 3. nec causam recte cognovit propter eandem rationem nedum, ut recte iudicaret, 4. ne quidem tentavit causam recte cognoscere, quia iustitiæ non favebat. Sed respiciamus locum de non futuro, illius loci sunt: quod in potestate ac voluntate positum non est, id quoque non erit; quod ira, quod cupiditas, quod ratio non suadet, licet adsit potestas; si antegressa quæcunque natura fieri solebant, facta non sunt; si quid huius causa factum non sit. His entymematibus ostendi posset, avarum non fore gratiosum: 1. Non studet avarus amicis conciliandis, 2. plenus est invidia & odio, odium autem parit odia, 3. avarus non demulcet homines beneficiis, non precatur bene, non facit quicquam eorum, quibus gratia captatur; itaque non amabitur. Vel ostendatur, improbi felicitatem non fore diuturnam, 1. hominis non est felicitati suæ diuturnitatem præstare, 2. Deus improbo iratus est, non ergo ei fortunam vult esse perpetuam, 3. non facit ea improbus, quibus felicitatis diuturnitas impetratur, non Deo acceptam refert, non utitur ad iuvandos alios, non orat &c. 4. nulla improbo facta est promissio de durabilitate fortunæ suæ, sed potius omnia

contra.

contraria. Quod attinet locum de parvo, is quoque in genere sive deliberativo, sive demonstrativo, sive iudiciali est observandus.

## §, XV.

Restant nunc loci communissimi, qui alias vocantur topici & sunt illi, ex quibus in omnibus disciplinis argumenta petuntur, de quibus ex professo agitur in dialecticis. ARISTOTELES illorum numerat undetriginta (a): Sunt scilicet illi loci ex contrariis, e casibus similibus, ex iis quæ inter se conferuntur, a maiori ad minus vel a minori ad maius, a pari, ex ipso tempore, ex iis, quæ in nos dicta sunt, adversus eum ipsum, qui dixit, argumentari, ex definitione, ex varia & multiplici vocis alicuius significatione, ex divisione, ex inductione, ex iudicio de eadem re aut simili aut contraria, ex partibus, ex consequentibus, a consequentibus talibus, quæ opposita invicem sunt, ab occultis & apertis hominum sententiis, ex iis quæ quandam inter se proportionem habent, si quod consequitur, idem sit, etiam ea, ex quibus id consequitur, eadem esse, ex eo, quod homines non semper idem sed alias prius alias posterius sæpe eligant & sequantur, cuius rei causa aliquid esse aut fieri potest, eius rei causa dicere id esse aut factum esse, inspicere ea quæ impellunt, & ea quæ revocant & quorum causa faciunt homines aut fugiunt, si aliquæ res multorum opinione incredibiles sunt & fieri tamen cernuntur, aut certo futuræ agnoscuntur, isthinc illis fidem conciliare licet, considerare

repu-

(a) II. Rhetor. cap. XXIII.

repugnantia; causa allata calumniam dissolvere; si causa sit, rem esse, si non sit, ne rem quidem esse; si alia ratione commodius fieri poterat; facta cum faciendis referre; errorem forte commissum ad accusandum vel defendendum traducere; a nomine rei aut personæ proprio. Hi sunt loci communissimi, qui singuli suppeditant enthymemata. Sit illa conclusio demonstranda, *temperantia est studendum*, enthymema 1. Si intemperanter vivere sit perniciosum, sequitur quod temperanter vivere sit salutare, 2. temperantes singuli homines videri volunt, 3. sumus christiani, quos decet temperanter vivere, 4. Christus, Apostoli temperanter vixerunt & animalia bruta temperanter vivunt, 5. alii homines temperantiæ student, 6. ignoramus diem mortis, 7. intemperantiam aliis exprobrare solemus, 8. temperantia est virtus hominis, 9. nomen christianos movet, quod a Christo acceperunt, 10. Deus eam ob causam rectam rationem nobis dedit, 11. multi christiani temperantes sunt, 12. omnes sapientes intemperantiam vitium æstumant, 13. intemperans, licet aliis virtutibus sit deditus, gratiam Dei amittit, 14. æterna damnatio est finis intemperantiæ, 15. sitis æterna intemperantiam sequitur, 16. omnibus aperta est intemperantia, 17. gentiles quidam temperanter vivunt, 18. qui intemperantiæ studet, filium se Dei non esse, ostendit, 19. sequimur eo ipso diabolum autorem intemperantiæ omniumque vitiorum, 20. amittimus intemperantia valetudinem, 21. mandatum Dei nos impellit, 22. intemperantes inopinatum obire solent mortem, 23. intemperantes

F

tempo-

temporalibus & æternis privantur bonis, 24. benedictionem Deus detrahit intemperantibus, 25. negligimus officium nostrum, 26. diutius vivere possemus, 27. qui per aliquot annos huic vitio deditus fuit, nunc abstineat, 28. intemperantia accusabit intemperantes in extremo die, 29. existimari volumus pii & sancti homines.

### §. XVI.

De enthymematibus fallacibus, si hoc loco esset dicendum, nimis prolixum hoc foret. Quare remittimus benevolum lectorem ad ARISTOTELEM (a) ex professo de his differentem. Modum, quomodo orator enthymemata variare possit, præscribit D. NIEMEIERVS (b): 1. præmittere potest conclusionem, maiorem vero huic subiicere, tum minorem cum suis probationibus oratorio modo dilatare & sic denuo repetere conclusionem, 2. minorem præmittet insinuabit postea maiorem & sic inferet conclusionem, 3. minori conclusionem iunget, deinceps vero addet maiorem, 4. eo ordine digeret suum syllogismum, ut maiorem excipiat conclusio, hanc vero minor, 5. præmissis quocunque ex enumeratis modo collocatis addet suas probationes, vel 6. unitantum earum, quæcunque quam maxime dubia videbitur, 7. maiorem omittet, eius vero loco probationem, h. e. huiusmodi thesin, quæ maiorem absentem probet, una cum minore & conclusione urgebit, 8. alterutram præmissarum eiusque proba-

(a) II. Rhetor. Cap. xxiv.

(b) Dissert. de enthymemate §. xxxix.

probationem prorsus seponet, ut alteri eiusdemque proba-  
 tionibus eo melius possit inhærere; vel, quoniam syllogismus  
 est oratio tribus constans pronuntiatis, quorum postremum e  
 duobus prioribus consequitur, primum enunciatum propo-  
 sitio maior, vel simpliciter propositio aut maior vocatur, al-  
 terum dicitur propositio minor, vel simpliciter minor, aut as-  
 sumptio, tertium est complexio sive conclusio; orator natu-  
 ralem hunc partium ordinem immutet, ita ut interdum assum-  
 ptio primum obtineat locum. Imo nonnunquam etiam con-  
 trario plane ordine a conclusione per assumptionem ad propo-  
 sitionem ascendat. Non enim ordine solum differunt sæpe  
 syllogismus dialecticus & oratorius: sed etiam numero pronun-  
 tiationum. Nam orator non raro apponit & maioris & mino-  
 ris probationem, ut fiat syllogismus quinque partitus: cuius  
 prima pars sit propositio, altera propositionis ratio, tertia as-  
 sumptio, quarta eius probatio, postrema conclusio. Quodsi  
 alterutra propositio fuerit perspicua, ratio eius omittitur, ita  
 ut syllogismus sit quadripartitus. Porro & in huiusmodi & in  
 alio quovis enthymemate sæpe præmittitur conclusio antece-  
 denti. Imo qua ratione syllogismus statuitur quadripartitus  
 vel quinquepartitus: eadem & enthymema tripartitum esse  
 potest; puta, quando antecedenti sua ratio adiicitur, secundum  
 sententiam VOSSII (a). Quam iucunda atque necessaria in  
 orationibus sit variatio, docet omnium oratorum eloquentis-  
 simus CICERO (b) dicens: *variare orationem magnopere oportebit.*

F 2

Nans


(a) partit. orator. lib. III. Cap. VII §. 7. 8 &amp; II.

(b) lib. I. de invent.

*Nam omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. Id fieri poterit, si non similiter semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus istis distinguere convenit orationem, h. e. tum inductione uti, tum ratiocinatione. Deinde in ipsa argumentatione non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partitiones, sed tum ab assumptione incipere licet, tum ab approbatione alterutra, tum utraque, tum hoc, tum illo genere complexionis uti.*

## §. XVII.

Ex his iam constat, enthymema esse syllogismum ex verisimilibus & signis constantem, vel uno verbo, rationem, qua conclusio aliqua probetur. Item, quod illa enthymemata peti possint ex diversis locis, ex locis propriis generis demonstrativi, deliberativi atque iudicialis; ex locis communibus de possibili, de facto, de futuro, de magno, ex locis communissimis vel ut a dialecticis vocantur, topicis. Valde prolixa autem est hæc materia, & præter spem plura suppeditavit, suppeditabitque. Cum vero hæc hæctenus dicta ad specimen academicum sufficiant, & ne benevoli lectoris favorem prolixitate amittamus, finem imponimus huic dissertationi, etiam atque etiam benevolum lectorem rogantes, ut si in scribendo quædam peccaverimus, illa corrigere atque emendare haut gravetur.



COROL-



## COROLLARIA.

I.

Etymologia vocis ex fonte est derivanda.

II.

Enthymema syllogismus & non est syllogismus.

III.

Enthymematibus oratio amplificari probarique potest.

IV.

Non omnia, sed quædam signa sunt effectus.

V.

Signa vel cum re sunt coniuncta, vel rem præteritam, vel futuram designant.

VI.

Bello multa vitia adducuntur.

VII.

Intemperantia tam animi, quam corporis dotes amittuntur.

F 3

VIII.

VIII.

Bonum est vel verum vel controversum.

IX.

Ex locis topicis in omni disciplina argumenta petuntur.

X.

Syllogismus dialecticus & oratorius ordine & numero differunt.

XI.

Solem stare secundum Copernicanos probabile est.

XII.

Bruta vere sentiunt.

XIII.

Fridericum Barbarossam a pontifice pedibus calcatum esse, rectissime ab historiae mediae peritis negatur.



Coll. diss. A. 49, misc. 33